

Amicus verus ea tantum laudat, quæ laude digna sunt, honesta nempe & vera: Adulator verò omnia, mala potissimum & vitiosa, chamæleonti similis, qui omnes colores suscipit solo albo excepto, & ut mali pictores verrucas tantum pingunt & cicatrices, quum pulcra nequeant, ita hi pessima quæq; orationis penicillo sive mangonio commendant. Adulatorum oratio similis est unguento, quod ad delectationem & voluptatem, immò ad lasciviam, tantum refertur: Amici verò correptio etiam sive correctio repræsentat balsamum confortans atque sanans, abest enim contentiosa insectatio, risus Sardonicus, *σεσηρῶς καὶ ἠγρωμένῳ*. Ideoque semper assunt amici veri, quia semper eos adesse optamus; Adulator verò similis est *pediculis*, qui vivos rodunt, mortuos deserunt; *birundinibus*, quæ æstivo tempore præstò sunt usq; ad molestiam, hieme autem recedunt; *delphini*, qui comitari solet navigantes, dum subest unda, sed litori appropinquantes relinquit.

Proinde *κρεῖττόν ἐστιν ἐμπεσεῖν εἰς τῆς κόρακας ἢ εἰς τῆς κόλακας* (elegantulâ illâ in rotundo Græcorum ore paronomasiâ) siquidem corvi mortuos tantum atq; infames depascuntur, adulatores verò vivos quoq; & *famâ* spoliant & *sæpiûs vitâ*. Sed malum! intelligere hoc negligunt Reges atq; Principes, quorum *opes sæpius assentatio, quàm hostis evertit*, quæ sunt verba *Q. Curtij Rufi*, qui idem in *M. illo Alexandro*, cetera continenti, heic incontinentissimo, ad posteritatis usq; criminationem taxavit (*lib. II. c. 5. num. 7*). Unde *Job. Freinsbemijs*, diligentissimus ille Curtij Commentator, verissimam dicit hanc esse Curtij gnomen, & in quâ certâsse videantur auctores. Confessus est id ipsum *Gordianus Tertius Romanor. Imperator*, quando (teste *Capitolino*) ad *Misitheum* locerum & præfectum ingenuè ita scripsit, *Miser est Imperator, apud quem vera reticentur*: reticent autem, immò supprimunt, adulatores. Confidenter *Agatharchides*, apud *Photium*: Novi ut natu grandior multarumq; rerum experientiam consequutus, per assentationem eos, qui excellentiâ digni-

digni-